



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena**

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,  
doctrina excutitur, scripta recensentur

**Origenes**

**Rothomagi, 1668**

XIII. & ad Theophilum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-25059**

A quibus, ut loquitur Hieronymus, Occidentalium Sacerdotum aures commoveret.

XII. His exitus Pammachius, Roma Hieronymum rogat per literas, ut quoniam multorum animos in diversa distrahebat hæc altercatio, Epiphanijs causam alius, alius Iohannis tuentibus, suam ipse sententiam exponeret. Morem gessit Hieronymus, & huculenta responsione, anno Christi 393. data, veram ac genuinam contentionis causam esse ostendit, non Pauliniani consecrationem, quam iracundiæ suæ Iohannes prætendebat, sed Origenismum, quem ad octo revocatum capita Iohanni objectum fuisse narrat, & quibus tria tantum purgaverit. Atque hæc diligenter notari jubeo, ut inde Origenistarum huius ætatis doctrina & dogmata in controversia posita spectari possint. Primum illud est; nec Filium videre posse Patrem, nec Spiritum videre posse Filium: secundum; animam propter peccata è cælo fuisse in corpus, sic tamquam in carcerem dejectam: tertium; futurum ut Diabolum & Dæmones peccatorum aliquando peniteat, & cum Sanctis in cælo regnent: quartum; Adamum & Evam ante peccatum corpore caruisse, humana autem corpora iis post peccatum circumposita tunicis pelliceis significari: quintum; carnem neutiquam suscitatum iri, non membra denuo simul esse compingenda, sexu homines penitus carituros: sextum; Paradisum terrestrem allegorice intelligendum: septimum; aquas quæ super cælum in Scriptura esse dicuntur, Angelos esse, quæ supra & infra terram, Dæmones: postremum; imaginem Dei peccando hominem amisisse. Plurima præterea lectu digna habet hæc Epistola, si quis accuratam temporum illorum notitiam consequi cupit. Id præcipue manifestis rationibus comprobatur Hieronymus, quod diximus, ante ordinatum Paulinianum, iam Origenis causa Iohannem & Epiphanium inter se fuisse altercatos. Quamobrem Halloxtum miror, & recentiores quosdam, qui hodieque contradicant, nec Hieronymi solum testimonium flocci faciant, sed & Epiphanijs, qui ita Iohannem alloquitur: *Video nimis quod propter hanc causam omnis vestra indignatio concitata sit, quod dixerim vobis, Atque patrem, Origenem scilicet, & aliam hæresin radicem & parentem laudare non debetis. Et cum vos rogarem ne ita crederetis, & monerem, contradixistis, & me ad tristitiam & lacrymas adduxistis: non solum autem me, sed & alios plurimos Catholicos, qui intererant. Inde, ut intelligo, hæc est omnis indignatio, & iste furor, & idcirco comminamini, quod mitatis adversum me Epistolas, ut huc illucque sermo vester discurrat.* Denique propositum sibi esse declarat in eadem Epistola Hieronymus, opere peculiari dogmata Origenis convellere.

D XIII. Veritas interea ne literis Iohannis, & Ildori in insurrectionibus occupatus Theophili animus male de Orthodoxorum causa sentiret, æquum duxit gestarum rerum historiam ad eum perscribere, seque & gregales suos apud eum purgare. Pacem ergo optare se, ad eamque conciliandam paratum declarat per Epistolam, quæ inter Hieronymianas numero sexagesima secunda habetur, & eodem anno 393. data est: multa deinde imposta sibi à Iohanne crimina confutat; in quibus advertendum est insimulatum eum à Iohanne, quod Origenis opera quædam Latine vertisset, respondisse: *Hoc non solum ego feci, sed & confessor Hilarius fecit, & iam nunc uterque nostrum noxia quæque detruccans utilia transtulit: & paulo post: Sicut enim interpretationem & idiomata Scripturarum Origeni semper attribuit, ita dogmatum constantissime abstulit veritatem.* Ut ostendat præterea quam vana esset Iohannis de Pauliniani ordinatione querela, ordinatum eum asserit in Eleutheropolitano territorio, non in Æliensi. Eleutheropolis autem ea est Hebron; Ælia, Ierusalem. Denique postquam ad procurandum sibi exitum Iohannem laborasse, & auctoritatem publicam ac rescripta sollicitasse questus est, cupere se significat, ut discordiæ omnes sopiantur. Vtraque parte audita veritatem perspexit Theophilus, & malis artibus non bonam causam à Iohanne aliusque foventi comperiens, adversam ita amplexus est, ut utrosque tamen ad sinceram concordiam revocare niteretur, & repugnantes Origenistas molliter ac benigne adhiberet.

F XIV. Cæterum ad coercendam serpentis Origenismi luem sequente anno Hieronymus Augustinum pietate florentem & eruditione, quicquid sibi notitia aliqua intercesserat, paratio Alypio Tagastensi postmodum Episcopo, quique iam ante optare se significaverat, ut Origenis opera ab Hieronymo Latine redderentur, monet per Epistolam, quæ intercidit, ut in Origenis scriptis cautus incedat, approbatis melioribus, sequioribus rejectis: at Origenis sibi notari errores responsione sua Augustinus postulavit. Certe ab his dissensionibus animum procul hic habuit, neque multum sese interposuit Origenistarum rebus: errores duntaxat Adamantij pro re nata impugnavit, velut in libris De Civitate Dei. Hieronymum autem ad reintegrandam cum Rufino amicitiam valde hortatus est.

XV. Anno à Christi ortu 397. post viginti quinque annorum discessionem Romam reversa est Melania, Rufino itinerum socio comitata. Causam reditus eam fuisse dicit Palladius: Melaniam neptem suam, Piniani uxorem, nuptiarum, mundi que pertasam, Christo reliquum vitæ consecrare velle cum accepisset, veritatem seniore ne in perverfos secessionis suæ duces neptis sua incideret, Romam advolasse, eamque consiliis adjuviffe.